DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RACHITIDE.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RACHITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES CHEYNE,

SCOTO-BRITANNUS.

Hei mihi!———quantum mutatus ab illo! VIRG.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCV.

JACOBO THOMSON

DE

BOGIE

ARMIGERO;

VIRO

INTEGERRIMO;

OB

AMICITIAM,

ET

COLLATA

IN

ILLUM

BENEFICIA,

HAS

STUDIORUM

PRIMITIAS

D. D. CQUE.

JOANNES CHEYNE.

CORRIGENDA.

Pag. 10 lin. 2. *pro* qud *lege* quòd

—— 17. — 8. *pro* ubi *lege* aut

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RACHITIDE.

---

§ I. NIHIL in medicina inutilius eſt, nihil magis infructuoſum, quàm vana de morborum origine certamina inire. Hæc, quod medicinæ fauſtum felixque ſit, monente meliora APOLLINE, nunc mittuntur, neque, ut ſperamus, in poſterum recrudeſcent. Non enim certando, diſputando, altercandove, ſed

A periclitando

periclitando et obſervando excolenda medicina eſt.

II. Quo tempore, in EUROPA, primùm apparuit *rachitis*, de eo, in contrarias partes, diſputatum eſt. Affirmant hi medici, vix ampliùs ducentis abhinc annis, enatam eſſe: dum aſſerunt illi, veteribus familiarem fuiſſe; neque alios, profectò, *valgos* et *varos* ROMANORUM, quàm miſeros, quos, primâ ætatulâ, deformaverat.

III. Qui primam (II.) opinionem acceperunt, ii cenſent *rachitidem* ortam eſſe *lue venerea*; morbo fœdo, qui, centum ferè antè annis, ab AMERICA in EUROPAM navibus tranſvectus erat.

IV. Verùm, etiamſi concederetur, *rachitidem* aliquantò pòſt enatam eſſe, quàm trajecta erat *lues venerea*; tamen, hoc conceſſo, minimè fas eſt concludere, illam ex hac originem deduxiſſe.

deduxisse. Valgi enim, ut fert sagax CULLENUS, varique, sanis, ut videtur, parentibus enascuntur; et parentibus *lue venerea* inquinatis, quod ad formam, sani: adeo profectò sæpe, ut, deductis etiam patribus dubiis, non sit, quamobrem iis, qui opinantur *rachitidem lue venerea* esse genitam, assentiamur.

DEFINITIO.

V. Notæ, quibus *rachitidem* definivit CULLENUS, hæ sunt:

"Caput magnum anteriùs maximè tumens; "genicula tumida; costæ depressæ; abdo-"men tumidum; cætera marcescentia*."

REGIO,

* Vid. CULLEN, *Synops. Nosolog. Meth.* Gen. LXXXIII.

REGIO, ÆTAS.

VI. *Regio.—Rachitide* deformantur infantes in iis potiſſimùm regionibus, quarum incolæ partim luxuriosè vivunt, partim ſedentariis artificiis occupantur. Quocirca, per totam ferè EUROPAM, nota eſt; præcipuè autem in urbibus, ubi vivunt opulenti, et artes utilitatis, elegantiæ, et luxuriæ miniſtratrices, manu fiunt.

VII. *Ætas*,—qua *rachitidi* opportuni ſunt infantes, arctis enimvero finibus circumſcribitur. Raro enim, ſextum ante menſem, aut ſecundum poſt annum, incipit. Interdum verò hos fines utrinque tranſgreſſa, petit infantes modò nondum ſemeſtres, modò jampridem bimulos; quinimo, ni aut fallant medici aut ipſi fallantur, enati ſunt infantes eâ deformes.

SIGNA.

SIGNA.

VIII. *Rachitis* vel *incipiens* habenda eſt, cùm indubiis nondum ſignis ſe prodiderit; vel *firmata*, cùm ſic jam increverit, ut propriis ſibi notis inſigniatur.

IX. *Incipiente rachitide*, macreſcunt muſculi; flacceſcit cutis; palleſcit vel potiùs flaveſcit facies; totum ſimul corpus langueſcit, labaſcit; dum nihildum febrit æger, necdum tumeſcunt artus, aut marceſcit ſtomachus.

X. Niſi opportunè conſiſtit hic morbus et inclinat, alia, et pejora quidem, deinceps mala jam (IX.) dictis accedunt. Augeſcit caput; ſternum ſic protruditur depreſſis coſtis, ut pectus a parte anteriore aſpicienti carinatum appareat; ſpina dorſi, et ubique corporis oſſa, tumeſcentibus jam artubus, huc illuc, incurveſcunt;

vefcunt; et, ne longum faciam, totus homunculus, miferum in modum, diftorquetur.

XI. Cùm eò deformitatis perventum eft, æger miferandus febricitat, et ægrè fpirat; alvus fluit; appetitus deficit; haud rarò etiam dirus gravat hydrops; et tandem motionis omnino impos æger, et ad offa cutemque maceratus, fato concedit.

XII. Non autem femper, hoc (IX.—XI.) ordine, figna, aliis deinceps alia, fuperveniunt. Morbo enim conftat non facies una; neque, profectò, raro, ordine tanquam retroacto, initio apparent graviffima figna.

XIII. Miferandi homunciones, qui *rachitide* deformantur, plerumque acris, pro ætate, imo præcocis ingenii funt; tanquam fi natura tanto pulchrioribus mentem virtutibus ornaret, quanto magis dehoneftat corpus. Forfan verò hæc infolita ingenii maturitas, curæ magis,

magis, qua ægri animum oblectare certant miserantes amici, tribuenda est, quàm benignitati naturæ.

XIV. Non verò semper præcoce sic ingenio sunt infantes, quos *rachitis* deformat. Interdum enim, tanquam si, ex corporis vitio, mens quoque imbecillitatem caperet, mori sunt et fatui.

EXTISPICIUM.

XV. Quoniam, patefactis ferro cadaveribus, variis in conspectum veniunt varia; hìc ea tantummodo, quæ frequentissimè apparent, et optimè, quæ sit morbi natura, ostendunt, recensere nobis in animo est.

XVI. Musculi neque solitam, quam in omnibus ferè aliis cadaveribus, rigiditatem habent, neque, profectò, colorem: cerebrum flaccidum

flaccidum eſt, et ejus ventriculi perſæpe aquâ oppleti: pulmones *pleuræ* adhærent, et inflammationis veſtigia oſtendunt: hepar et ſplen tument et obcallent; in thorace et abdomine aqua eſt; præterea, inteſtina ſunt ſolito craſſiora, et flatu diſtenta, atque glandulæ *meſenterii* tumidæ ſunt, et induratæ: oſſa, denique, adeo mollia ſunt, ut ſcalpello haud ægrè queant ſecari.

CAUSA PROXIMA.

XVII. Deficiens in ſanguine materia, ex qua oſſa formentur, a multis, imprimis CULLENO, proxima *rachitidis* cauſa habita eſt; et, profectò, ſi in mollitie oſſium omnino conſiſteret hic morbus, nihil, forſitan, eſſet, quare iis, hac de re, non aſſentiremus.

XVIII. Cùm verò perpauci ſint morbi, qui æquè, ac *rachitis*, totum corpus labefactant,

talem

talem opinionem accipere non possumus. Licèt enim defectu materiæ, qua appositâ durescant ossa, hæc mollescant et declinent; tamen explicari non potest, quare eâdem causâ ipsi quoque musculi macescerent flaccescerentque.

XIX. Hanc (XVIII.) ob rem, illâ (XVII.) opinione rejectâ, multo nobis verisimilius videtur, proximam *rachitidis* causam esse sanguinem, vel alimento deficiente inconfectove, vel *chylo* deficiente aut non satis in fluidum animale subacto, magis solito tenuem et dissolubilem. Sanguine enim sic dissoluto, facilius est exponere, quare non solùm ossa, sed ipsi etiam musculi, vitientur.

XX. Talem *rachiticorum* esse sanguinem, eò probabile redditur, quòd, incisis cadaveribus, glandulæ, eæ in primis mesenterii, quæ ad *chylum* sic subigendum, ut in bonum postea sanguinem mutetur, prorsùs necessariæ sunt,

tumidæ ſic et induratæ, ut proprio munere nequeant perfungi, conſpiciuntur; quòd ipſa fluida aquata adeo ſunt et diluta, ut neutiquam mirum ſit, muſculos, poſt mortem, non, ut poſt alios pleroſque morbos ſolent, frigore rigere; demumque, quòd cava ſemper plus aquæ minuſve continent.

XXI. His (xx.) cognitis, liceat nobis concludere, cauſam, qua rectà *rachitis* exoritur, eſſe ſanguinis tenuitatem; quam partim, ut putat Cullenus, laxitas et debilitas fibrarum motricum, quarum eſt ingeſta alimenta concoquere, et *chylum* hinc paratum in vivum ritè mutare ſanguinem, forſan effecerint.

CAUSÆ REMOTÆ.

XXII. Remotiores *rachitidis* cauſæ partim ad conſtitutionem parentum reſpiciunt, partim ad ipſius infantis educationem.

XXIII.

XXIII. *Constitutio parentum.*—Ii, præ cæteris, infantes *rachitidi* obnoxii sunt, quorum parentes aut otio, voluptatibus, et luxuria diffluunt; aut necessariis quibusdam artificiis, quibus infirmatur corpus humanum, versantur; aut, demum, ob inconcessum concubitum, *lue venerea* graviter plexi sunt.

XXIV. Hujusmodi (XXIII.) profectò parentes, infirmam et morbosam ferè prolem gignunt. Experientiâ autem constat, insontem, ob parentum vitia, raro *rachitide* plecti sobolem. Hæc, enimvero, nihilo fortasse infantilem prolem huic morbo opportuniorem reddunt, nisi quatenus alant hæreditaria morborum semina; quæ, obcæcata quasi in præsentia, parentibus insidiosè latent, ut postea in prole revirescant.

XXV. Horum ſeminum, id, unde ſcrofula enaſcitur, plurimùm, ad tenera infantum corpora *rachitidi* obnoxia reddendum, pollere videtur. Inclinant animi, ut ita credamus; eò quòd utrique morbi partes glanduloſas petunt; utrique eadem curatione ſanantur, eadem ingraveſcunt. Quinetiam, nunquam nobiſmetipſis contigit deformatum *rachitide* infantem videre, in quo ipſo, vel in cujus alterutroque parente, nonnulla ſcrofulæ veſtigia non apparebant.

XXVI. Hæc (xxv.) opinio haudquaquam infirmaretur, etiamſi nobis objiceret aliquis, deformatos *rachitide* infantes parentibus, quos nunquam dehoneſtaverit ſcrofula, enatos eſſe; cùm præſertim, id profectò quod ab omnibus conceditur, hujus ſemina, per plures deinceps ſoboles, inobſervata lateant.

XXVII. Nedum eandem opinionem multùm dilueret is, qui nobis monſtraret ſanos liberos, quos procreaverint glandulofi parentes; propterea quòd, ut inter omnes convenit, interdum providâ obſtari poteſt curâ, quò minùs inſita et ſcrofulæ et *rachitidis* ſemina vigeſcant. Quinetiam, ſi nihilominus perneget aliquis, ſcrofulam et *rachitidem* cognatos morbos eſſe; ſaltem concedendum eſt, utraſque ſimul eandem ſæpe familiam fœdare.

XXVIII. His (XXV.—XXVII.) attentè conſideratis, poteſt, ut nobis videtur, cogi et effici, *rachitidem* ex ſcrofula, ſi ex ullo parentum morbo, enaſci.

XXIX. *Infantum educatio.*—Quæcunque infantum corpus multùm debilitant, *rachitidi* occaſionem præbent: potiſſimùm enim infantes, aliquà infirmati, membrorum diſtortione et pravitate deformantur.

XXX. Ad hoc genus (xxix.) caufarum pertinent alimentum non fatis nutriens, quod, ut fuprà (xix.) diximus, fanguinem jufto dilutiorem reddit; magnum five alvi, five fanguinis, profluvium; prægreffi demum morbi, *variola*, fcilicet, *rubeola*, aliive quibus opportuna eft infantilis ætas.

XXXI. His (xxx.) accedant quies nimia, aër infalubris, et immunditia. Hæc enim omnia permultùm utique obftant, quò minùs infantum corpora fiant compacta et robufta; et, in urbibus populo frequentibus, cum parca nimis parùmve nutriente diæta, ad pravitatem membrorum efficiendam confpirant.

XXXII. Ad alimentum non fatis nutriens pertinent, quorundam opinione, farracea, quæ nondum fermentata fint; opinione autem omnium, lac jufto dilutius.

XXXIII.

XXXIII. Farracea (xxxii.) nondum fermentata committere, ut mollescant et distorqueantur ossa, neutiquam verisimile videtur; propterea quòd, ubique terrarum, quoad scimus, infantes hujusmodi nutrimento, magna ex parte, aluntur, neque eò tamen magis membris deformes sunt. Hanc ob rem, apud omnes ferè medicos peritos, et, quid verum sit, quid non, experientiâ doctos, propè jam est, ut hæc opinio, utpote rebus veris haudquaquam innitens, prorsùs exolescat.

XXXIV. Lac verô dilutius efficere, ut perinsignes membrorum depravatione fiant infantes, vero, ut nobis videtur, multo magis consentaneum est. Propter lactis enim tenuitatem, proletariorum, præ cæteris, infantes, qui, per duodecim, imo octodecim haud rarô, menses, pannosis matrum mammis potissimùm aluntur, sæpe *rachitide* deformes sunt. Eadem de causa, interdum distorquentur opulento-

rum

rum etiam infantes, qui mercenariis aluntur nutricibus, quæ nimis diu lactant, quarumve cibus parùm lactefcit.

PROGNOSIS.

XXXV. Ex hoc morbo forma, potiùs quàm vita, in periculo verfatur. Cùm ita fit, deformitas magis, quàm mors, timenda eft.

XXXVI. 1. Si morbus gravis acceſſerit, et pòft paulò pejora (x.) figna apparuerint, eft utique malum. Tum enim timendum eft, ne homunculus infigniter deformetur. Quinimo, tantâ fævitiâ morbi haud raró de vita decedit: neque, profectò, hoc mirum eft; cùm præfertim, magno offium deflexu thorax adeo coanguftetur, ut pulmones proprium fibi vitale munus nequeant abfolvere.

2. Malum

2. Malum itidem eſt, quoties *rachitis* infantes nondum ſemeſtres, inſigniterve jam infirmatos invadit. Tum enim exercitatio et medicamenta, quæ ejus incremento obſiſtant, non poſſunt adhiberi; et ſic miſeri pereunt morbo, quo firmiores plerumque formâ tantùm plectuntur.

XXXVII. 1. Sin, ubi incuriâ parentum, diætâve pravâ, concitata fuerit *rachitis*, aut prægreſſis, qui vires nondum magnopere labefactaverint, morbis ſupervenerit; tum educatione aptiore, ſimulque medicamentis, ex iis quæ corpus firmant, plerumque, ne magis increſcat, obſtari poteſt.

2. Quòd ſi, etiam rebus ita ſe habentibus, parentum alterutriuſque intus ſcrofulam prodant evidentes cicatrices; futura, utrùm bonam in partem inclinent, an in malam, enimvero incerta ſunt.

CURATIO.

XXXVIII. Medicum, cui curæ ſit *rachitidem* curare, oportet incipientem, ſive veteratam, quàm primùm ſiſtere ; et ſimul, ne deformetur corpus, quantùm poteſt obſtare.

CONSILIUM PRIMUM.

XXXIX. Quò ſiſtatur morbus, vigor marceſcenti homunculo reſtituendus eſt, iis quæ firmant et roborant. Ad hoc genus pertinent idoneum regimen et apta medicina ; de quibus, profectò, ſpeciatim nobis uberiùs diſputandum eſt.

XL. *Regimen*—ſuo complexu continet diætam, exercitationem, et lavationem frigidam. De his igitur, deinceps, pauca dicenda ſunt.

XLI. *Diæta* partim ſolidâ materiâ conſtat, partim liquidâ. Illi *cibus* nomen eſt; huic *potus*.

1. A. *Cibus* debet, aliqua ex parte, conſtare ex pane farreo. Fermentatus, ſi commodè comparari poteſt, ei non fermentato anteferendus eſt; propterea quòd faciliùs fortaſſe concoquitur. Verùm, etiam pane non fermentato corpus humanum bene nutriri, procul eſt, ut aliquis negare poſſit. Toroſa enim juventute SCOTIA gaudet; neque ulla milites laboris, inediæ, et algoris tolerantiores, magisve bello invictos, aut genuit aut aluit Mavortia tellus.

B. Carnes quoque tenerarum animantium temperanter aſſumere liceat; vel, quod utique melius eſt, juſcula, quibus eædem coctæ ſunt.

2. A. *Potus* optimus, dummodo ſit ventriculo idoneum, lac vaccinum eſt. Quòd ſi alienum ſit, aliud, quod magis conveniat, ejus vice bibendum eſt; imprimis dilutum aquâ vinum quodlibet auſterum, quod, etiam ſtomacho non marceſcente, interdum anteferendum eſt, præſertim ſub finem morbi, ubi haud raró ſoluta alvus eſt. Etiam perfuſum diluto ſic vino panem edere, haud alienum eſt.

B. *Cereviſiæ*, ut ferunt nonnulli, iis, qui hoc morbo implicantur, perutiles ſunt. Noſtra veró opinione, melius eſt ab iis omnino abſtinere; partim quia ventriculum inflant, et partim quia liquatam ſæpe jam nimis liquant alvum.

XLII. *Exercitatio.*—1. Ineunte morbo, exercitandum ſub dio corpus eſt, ſive ambulatiuncula, ſive geſtatione; neque, profectò, multùm intereſt, vehiculone geſtetur, an hilárula et indefeſſa nutrice.

2. A.

2. A. Inveterato autem morbo, ubi homunculus vel ipſe, ob debilitatem, motûs impos ſit, vel, ob ceream oſſium mollitiem, nequit, abſque flexura membrorum, moveri, corpus non ſic exercitari poteſt. Quoties ita eſt, oportet laneis, vel ſtrigili, vel nudâ manu leni quovis unguento lubricâ, corpus ſubinde acriterque perfricari.

B. In aquilonalibus Scotiæ regionibus, mos eſt oleo, ex ſquati hepate parato, genua aliosve artus, contra membrorum flexuras, manu identidem, neque, ut ferunt, fruſtra, fricare. Verùm, utrùm ita, ut aiunt, proficiat, necne, ex propria experientia, quippe quæ nulla ſit, affirmare non poſſumus.

XLIII. 1. *Frigidarium*—longè plurimùm, contra *rachitidem*, pollet. Non ſolùm enim corpus firmat; ſed etiam utile eſt ad munditiam, cujus rationem habere, imprimis neceſſarium eſt. Quantùm proficiat frigidarium,

optimè

optimè eò cognoſcitur, quòd, ex quo tempore inolevit mos infantes, quotquot eunt dies, aquâ frigidâ lavandi, membrorum pravitas rarior evaſit.

2. Contrà autem dixerunt nonnulli, non adeo proficere; idcirco quòd imbecilli in aquam frigidam tutò immergi, vel etiam hac lavari, non poſſunt. Replicari verò poteſt, paucos, perpaucos quidem, eſſe infantes, quin tutò ſic aquâ frigidâ perfundantur; dummodo provideant matres aut nutrices, ne quid hinc poſtea detrimenti capiant. Hunc in finem, infantes, ſimul atque ſatis perfuſi fuerint, laneis ſiccari, perfricari, et operiri quidem oportet.

XLIV. *Medicina*—quoque in auxilium, contra hunc morbum, vocari ſolet. Quæ autem medicamenta ſubſidium pollicentur, ea ſunt, quæ deplent et roborant. De utroque genere pauca dicenda ſunt.

XLV.

XLV. *Primo genere*—continentur ea, quæ vomitum et alvum movent, et fonticuli.

XLVI. *Vomitoria.*—Quoties fœtor animæ, malacia, laſſitudo, cruditas, hisque conſimilia, ventriculum marceſcere, neque aſſumpta alimenta bene concoquere oſtendunt; lenis vomitio cienda eſt, ut, quæ intus offendant, rejiciantur, et firmetur faſtidioſus ventriculus. Hoc conſilio, primo quoque tempore, paucula *ipecacuanæ* grana devoranda ſunt.

XLVII. *Cathartica.*—Si alvus, ut interdum initio morbi accidit, fæcibus oppleatur, vel, ut plerumque eſt per totum morbum, contento aëre diſtendatur, idoneis movenda eſt medicamentis. Hoc conſilio, optima ſunt ea, quæ, radix velut Pontica, dum deplent, inteſtina non infirmant. Hoc medicamentum non ſolùm fæcibus inteſtina vacuefacit, et ſic appetitum movet; ſed etiam, ventriculum confirmando,

confirmando, concoctionem insigniter adjuvat.

XLVIII. *Fonticulos,*—ex quibus tenuiores partes sanguinis effluerent, facere olim mos erat. Cùm verò eorum usum plerique nunc medici aspernentur, eos, hìc loci, fusiùs tractare non opus est.

XLIX. *Genus* (XLIV.) *secundum*—complectitur præparata ex quibusdam metallis, et ex iis quæ terrâ pariuntur.

L. *Metallorum* nullum, contra *rachitidem*, tantùm potest, quantùm ferrum, variaque ex hoc præparata. Licèt hoc metallum multimodìs assumi possit, commodissimum tamen est, levissimum pulverem, in quem ejus ramenta redacta sunt, cum aromatum quibusdam, casiæ velut cortice, commixtum adhibere. Hunc pulverem unà cum testaceis itidem prod-

esse

eſſe accepimus; et profectò, nihil videtur, quòd non identidem tentetur.

LI. Alia metalla, cuprum velut, quippe ex quorum uſu detrimentum interdum capiatur, nunquam, niſi omnia jam tentata ſpem fefellerint, contra *rachitidem* adhiberi debent; eòque minùs, quòd ferrum, ex quo nihil timendum eſt mali, fortaſſe haud minùs pollet.

LII. *Roborantia terrâ enata*, contra *rachitidem*, multùm potuiſſe dicitur. Eorum verò efficaciſſima quidem tentata, plerumque ad ſpem non reſponderunt. *Cinchonam* enim ipſam, multiformiter et uberrimè quidem aſſumptam, parùm profeciſſe, periculo compertum eſt.

LIII. His (XXXIX.—LII.) dictis de primo (XXXVIII.) conſilio, proximum eſt, ut de ſecundo pauca dicamus.

CONSILIUM SECUNDUM.

LIV. Hoc quoque consilio, æger regimine suprà (XL.—XLIII.) fusiùs memorato roborandus est. Viribus enim nihildum redintegratis, omnia, quibus, ne deformetur corpus, obstare conamur, parùm proficient.

LV. Ossium flexuræ sunt, quoad potest, chirurgia curandæ. Verùm, nisi incipienti deflexui opportunè obsistatur, parùm futura valebunt chirurgi conamina; siquidem ossa jampridem deflexa et distorta, nulla iterum arte in rectum queant reflecti.

LVI. Obstari quidem potest interdum, ne ossa, spina imprimis et tali, pravè jam detorta, pejùs deflectantur.

1. Deflexâ ſpinâ, optimum factu eſt, aptis quibuſdam inſtrumentis caput et humeros quoque ſic ſuffulcire, ut ſubjectus his truncus pondere nihil ferè omnino gravetur. Accommodatius nihil novi, quo hoc fieri poſſit, quàm machinam, quam neſcio quis JONES aut fabricatus eſt, aut in melius mutavit.

2. Si tali pravitatem ceperint, tum unguento quovis emolliente priùs illiti, ocreis, quibus, in contrariam ei, ex qua declinaverint, partem, leniter et continenter inclinentur, comprimendi ſunt.

PROPHYLAXIS.

LVII. Curatione *rachitidis*, pro noſtra facultate, abſolutâ, nunc tantùm reſtat, ut per-

pauca

pauca dicamus de iis, quibus efficaciſſimè ab infantibus arceatur.

LVIII. *Veſtitus,*—hoc conſilio, mundus et ſiccus debet eſſe, et, inſuper, is, qui ſummæ cutis halitum et ſudorem abſorbeat. Hunc in finem, lanea linteis anteferenda ſunt veſtimenta, imprimis hieme.

LIX. *Regio,*—ſi locum, quo educetur infantilis proles, eligere parentes patiatur res familiaris, montoſa debet eſſe, et ea, qua aër ſalubris ſit.

LX. *Exercitationem*—talem eſſe oportet, qualis infantem non fatiget, et ſemper ſub Jove frigido.

LXI. *Lavatio frigida*—quotidie adhibenda eſt.

LXII. 1. *Diæta*—ea debet eſſe, quæ concoctu facilis ſit, et ſatis nutriat.

2. Cùm diæta, maxima ex parte, lacte conſtet, idcirco, ut ait HOMIUS, " eligenda eſt
" nutrix ſana; dentes et pulmones integros
" habens; gracilis, potiùs quàm obeſa; hila-
" ris; non primipara, neque ebrietati, ira-
" cundiæ, aut Veneri dedita; lac ſubdulce,
" inodorum, albidum, non nimis vetuſtum,
" neque nimis tenue aut viſcidum ſecernens."
Princip. Med.

FINIS.